

Samuel Andreae    Andreas Austen


**[...] seu Disquisitio Theologica Altera De Immanuelis Nativitate Ex Virgine, Ad Locum Jes. VII. 14.**

Marburgi Cattorum: Kürsnerus, 1683

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788769243>

Druck    Freier  Zugang






93

*Fa 1092 (93.)*

(93)



ZW  
MINO  
CL  
Von dem  
OCCA  
ERNE  
ET F  
M. J

no 100.

למנו  
feu

DISQUISITIO THEOLOGICA  
ALTERA  
De

IMMANUELIS  
NATIVITATE  
EX VIRGINE,

*Ad Locum fef. VII. 14.*

QUAM  
PRO LOCO

ut vocant,

EODEM IMMANVELE BENEDICENTE,

*Placido examini publico*

SENATUS ACADEMICI

subjicit

P R Æ S E S

SAMUEL ANDREÆ,

S. Th. D. ejusdemque ut & Hist. Eccl. Ord.

Professor, Bibliothecarius, nec non Eccl.

Reformatæ Pastor Ordinarius,

RESPONDENTE

ANDREA AUSTEN , Dantiscano.

*a. d. XVI. Martii, in Auditorio 7ctorum, horis matutinis.* 23

MARBURGI CATTORUM,

Typis JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Acad. Typ.

ANNO MDCLXXXIII.

32.  
31.  
31.  
31.  
24.  
21.  
2.  
4.  
4.  
22.  
4.  
4.  
1

DISQUISITIO THEOLOGICA  
ALTEA  
IMMANUELIS  
IN AFRICA  
EX VIRGINIA  
PRO LOCO  
EODEM IMMANUELIS BENEDECTI  
SENATORIS ACADEMICI  
SAMUEL ANDREAS  
ANDREA ALBERTI, Danzig  
Johann Baptist



ג

DISQUISITIO THEOLOGICA  
ALTERA

De

IMMANUELIS  
NATIVITATE EX VIRGINE,

SECUNDUM VATICINIUM *Is. VII. 14.*

THESIS I.



Um incarnatio divina primus istius *κενώσεως* sit  
sit gradus, quâ filius Dei, cum esset in forma Dei,  
non rapinam duxit, parem esse cum Deo, sed in-  
nivit seipsum formâ servi acceptâ, similis homini-  
bus factus, & habitu inventus ut homo se submisit,

factus obediens usque ad mortem, mortem autem  
crucis, *Philip. II. 6. 7. 8.* haud utique alienum fuerit, nunc etiam  
ubi passionis Dominicæ mysteria meditamur, redire ad initium &  
obedientiam hanc quoque in illa *Immanuelis ex B. Virgine* stu-  
pendâ *nativitate* contemplari. Neque enim major potuit esse  
humiliatio, quàm ubi Dominus gloriæ semen Abrahami sic as-  
sumpsit, ut illud sibi sub formâ servi in eandem hypostasim uniret,  
aut obedientia illustrior, quàm ubi filius, Patri *ὁμοσιος* & æqualis,  
quò hostes reconciliaret, spontè suâ consensit in consilium pacis si-  
bique corpus adaptavit, in quo tanquam sponsor & expromissor  
lueret aliorû delicta & quod non rapuerat rependeret. *Pf. LXIX. 5.*

II. Quandoquidem autem gemina hujus mysterii conside-  
ratio est, quarum una tempus *ἐπαγγελίας* & promissionis, altera  
*ἐμαγγελίης* & lætæ annuntiationis, cum emphasi ita dictæ respicit, sic

31  
32  
31  
31  
2  
2  
2  
4  
4  
4  
4  
4



in priori nunc iterum versabor, ut simul posterior eadem comprehendatur. Prout enim Vetus Testamentum in Novo patet, sic Novum in Veteri latere, ex omni prophetia perspicuum evadit, atque fieri haud potest, ut ullius vaticinii veritas demonstraretur nisi collatio eventus accedat & sic τὴν κλειδα τῆς γνώσεως, sublata a Judæorum legis interpretibus *Luc. XI. 52.* reddat. Maximè cum gentis incredulæ Magistri hodie dum eventui se opponant atque contra Apostolos disputare haud vereantur.

III. Quod cum innuerem antehac, de illustri vaticinio *Jes. VII. 14.* differens, atque refutationem septem objectionum, quibus *Abarbanel* Matthæum Evangelistam oppugnat, aliarumque quas *Lipmannus* in suo *Nizzachon* habet, ventilationem in occasionem commodiorem differrem, nondum legeram illa quæ Clarissimus Astorfenus Theologus D. *Saubertus* utrique reposuerat in *disputatione de Haalma Matre Immanuelis*, quæ *Palastre Theologico Philologica* pag. 130. & seq. habetur. Neq; operæ pretium esset actum agere nisi spicilegium ab eodem esset relictum atq; ordo objectionum mutatus, omissis instantiis nonnullis, quæ omninò animadversionem merentur, alia quoque occurrerent in arcanis Judæorum libris, quos nuper Celeberrimus Polyhistor D. *Wagenfeilius* sub titulo *Telorum igneorum Satanae* (majori rei Christianæ commodo, an incommodo, dubium) publicavit, quibus refellendis vacare haud abs re futurum videbatur.

IV. Itaque ut veritas Evangelica adversus gentis pervicacis calumnias asseratur, Christo duce & auspice Christo, denuo cum *Abarbanele* primùm congredior, qui postquam vaticinium hoc illustre, *de Immanuelis ex Virgine natiuitate*, ex sua & aliorum Rabbiorum mente in *Commentario ad h. l.* non uno modo detorsisset, tandem & sibi quædam objicit ac diluere conatur, & alia quoq; Matthæo Evangelistæ, hoc vaticinium Domino Jesu applicanti, opponit. Quæ sic ordine expendam omnia, ut perfrictis obiter levioribus, in istis, quæ alicujus momenti videbuntur, pedem sim fixurus, & adversario insultanti gloriandi materiam abstracturus.

V. Eorum



cit : *Nobiscum Deus q. d. salutare tuum exspecto Iehova.* Ineptum  
 verò id esse satis evincit quòd verba hæc Prophetæ sint de Deo lo-  
 quentis, non Dei Prophetam alloquentis. Neque enim *ψ. 7.* di-  
 cit מעלה הנה אני מעלה uti aliàs ubi Deum loquentem inducit, sed  
 הנה ארני מעלה. Quomodo ergò ארצך Prophetam spe-  
 ctaret? Fucit Jesaias stemmatè regio oriundus. Terra tamen  
 ideo ejus haud dici poterat. A nobis stat *Kimchius* cui *Immanuel*  
 hic est disertè, הנה הנולד לאחו לאות כי לא תכנש *filius A-*  
*chaso natus in signum terram Judæ haud subactum iri ab Assyriis,*  
 & ad eundem in paraphrasi verborum Prophetæ *וְאֵת אֶרֶץ* re-  
 fertur, כלו אתה עמנו אל שאתה בירושלם כך יכירו כי  
 עמכם האל שתנצל מיד מלך אשור כי כל שאר ארצך  
*q. d. Tu Immanuel qui Hierosolymis es. im-*  
*te agnoscent secum esse Deum quòdq. liberabitur illa è manu Regis*  
*Assyriorum. Omnis enim reliqua terra tua plena erit illis.* Id  
 quod adversus *Abarbanelem*, sufficit, agnovisse *Kimchium*  
 עמנואל hîc nomen proprium esse. Nam quoad cætera, cum *Hiskias* fue-  
 rit hæres regni & successerit *Achaso*, evidens est, vivo illo & jam  
 adulto, non potuisse ad aliquem infantem regium qui nunquam  
 successurus erat, dici ארצך, si vel verum esset, *Achaso* alium fi-  
 lium fuisse, cui nomen *Immanuelis* mystico sensu impositum, uti  
*Kimchius* fingit. Id quod etiam *R. Isaac in munim. fidei. p. 188.*  
 rectè contra eundem urget. Sed quòd instat, ארצך hîc tantum  
 natale solum notare uti *Gen. XII. 1. & Jer. XII. 15.* id nullius mo-  
 menti. Nam differentiæ ratio evidens. Ibi hoc sensu empha-  
 sibat, quoniam in *Abrahamo*, egredi solo natali in locum igno-  
 ritum, ad magnitudinem obsequii pertinebat, & in *Israelitis* pro-  
 missio reditus ad natale solum, reditum eo suaviorem reddebat. Sed  
 quomodo id in hac denunciatione quadrat? Sanè ubi terra vastan-  
 da filio Principis aut Regis tribuitur, multo convenientior est al-  
 tera illa domini significatio. Ne nunc insuper *Abarbaneli* ac-  
 centum *tiphcha* opponam, minorem quàm ut talem distinctionem  
 in voce ארצך facere queat, quæ cum mutatione personæ loquen-  
 tis consistat. Aliter ipse *Jesaias* & vel *soph pasuk* vel *atnach* adhi-  
 bere solet tali casu. Vid. *cap. LXIII. 1. 2. 3. 6. 7.*

VII. Objicit attem sibi *secundò*, quòd si Propheta dixit & . xi.   
 למעלה או הגבה שאלה או העמק è profundis pete aut è rebus   
 altissimis, ut signum aliquod magnum & insigne notaret, num   
 quid magni in eo, mulierem conjugatam parere, cum Medici sapi-   
 entes ex vultu & urina dignoscant si qua gravida sit & an marem   
 aut femellam sit paritura? Respondet verò, quòd secundum   
 utramq; exponendi rationem quam dederit, propter notationem   
 vocis מוֹא non sit locus huic objectioni.

VIII. Sed quantum roboris insit utrique isti expositioni *priori*   
*disquis.* S. X. & seqq. fuit ostensum. Hic addo, alios plerosque   
 Rabbinos concedere nobis, signum hinc haud vulgare sed divinum   
 & singulare promitti, atque in eo laborare ut ejus rationem *secun-*   
*dum* hypotheses suas reddant. *Kimchius* in scientia pueri nasci-   
 turi, uti *disqu. prior.* S. XXIV. notatum. *Lipmannus* in eo quòd   
 hæc מלמה teneræ admodum ætatis fuerit, necdum apta conce-   
 ptioni & tamen gravida, tum quòd filium seu masculum esset pa-   
 ritura, egregie sibi contradicens quia mox מלמה uxorem Pro-   
 phetæ fuisse dicit loco eodem. *R. Isaac* verò in מוֹא אמונה plura   
 conjungens, in ipsa conceptione & partu hoc signum quærit, quòd   
 quædam femina steriles sint vel concipiant quidem sed non pa-   
 riant, in eo quòd filium paritura & mater per Spiritum Sanctum   
 sibi præsentem nomen mysticum Immanuelis puero esset imposi-   
 tura, denique in eo, quòd puer actutum post nativitatem, non   
 more reliquorum infantium ubera matris sugere, sed butyrum &   
 mel comesse debebat. Ad quæ cum sufficienter responsum sit à   
*Cl. Wagenfeilio in confut. carm. Lipman.* p. 387. nolo actum   
 agere.

IX. Objicit *tertiò* sibi, quòd *Hosea filius Elah* anno *duode-*   
*cimo* *Achasi* ad regnum pervenerit, mortuo jam *Pekah filio Rema-*   
*lia.* Hinc patere, nato *Immanuele* jam mortuum fuisse *Rezin* &   
*Pekam filium Remalia,* mortemq; eorum in annum quartum aut   
 quintum *Achasi* incidisse. Et respondet, negando sequi, si *Hosea*   
 anno *duodecimo* *Achasi* ad regnum pervenerit, *Rezinum* & *filium*   
*Remalia* tempore hujus prophetiæ jam mortuos fuisse. Nam i. in   
 libro *Regum* scriptum esse *Pekam filium Remalia* 20. annis re-   
 gnasse, ibidemq; scriptum simul, jam in diebus *Ioahami,* qui Pater   
 Achasi,

Achasi, Deum incepisse Judam per Rezinum & Pekam affigere.  
 2. Mortuo Iothamo Achasum anno 17. Peka ad regnum pervenisse.  
 Superesse ergo triennium adhuc quo regnum Achasi & Peka possint  
 αὐτονομίαν. Hoc tempore duos illos Reges consilia miscuisse de  
 oppugnanda Hierosolyma & cum eorum finis in medium anni ter-  
 tii incidat, hinc prophetam dixisse, quod antequam puer digno-  
 scat averfari malum & eligere bonum, terra sit derelinquenda,  
 eo quod medio istius triennii reges illi mortui sint & à regno suo  
 avulsi. Prophetiam ergo hanc non quarto aut quinto, uti velint, sed  
 primo Achasi anno accidisse, cum Reges illi intenderent consilium  
 quod jam adversus Patrem ejus ceperant, exequi.

X. Ego autem, uti evidens esse puto hanc objectionem non  
 adeò rem quàm quasdam temporis circumstantias spectare, ita in  
 scrupulis istis chronologicis eximendis non laborabo, cum haud  
 constet, quo Achasi anno hæc prophetia edita sit. Id interim cer-  
 tum, eos qui hac ratione adversus Judæos usi, conclusisse ex hypo-  
 thesibus illorum per modum deductionis ad absurdum, sequi in-  
 de scilicet, Rezinum & Pekam nato Immanuele qualem illi vo-  
 lunt, jam fuisse mortuos, cui tamen textus facer repugnet. Quo-  
 niam verò ipsi Judæi circa istas hypotheses non conveniunt aut  
 sibi constant, adeò ut ipse Abarbanel, qui hic expresse ait anno  
 primo Achasi hanc prophetiam contigisse, immemor fuerit se ante  
 ad vocem העלמה scripsisse, אחר עכור הזאת הנבואה הוצאת  
 שנתים שנים למלכות אחר quod hæc post annum secundum  
 regni Achasi completum edita sit; ideo hæc ratio ad hominem so-  
 lum & contra illos procedit, qui anno quarto aut quinto Achasi  
 hanc prophetiam assignant, quos inter Raschi & Lipmannus.

XI. Denique quarto sibi objicit idem, de puero hoc narrari  
 postea, quod antequam dicere possit is, mi pater aut mea mater, po-  
 tentia Damasci sit auferenda & Samaria à Rege Assyria spolianda,  
 quod tamen haud factum legimus nisi quando eam vastavit anno  
 nono Hosea filii Ele, cum Achasus jam esset mortuus & Hiskias  
 filius ejus jam annum sextum regnaret. Respondet autem pro-  
 lixè in argumento nullius momenti, quia putabat se reperisse in  
 quo se posset jactare. Christianos (ait) objectionem hanc haud pro-  
 zaturus fuisse si sensum literalem ac genuinum prophetiarum essent  
 affecti.

affecuti. Non enim puerum de quo cap. 7. v. 17. sermo sit, eundem ex opinione sua esse de quo cap. VIII. v. 4. Duos esse pueros & duas prophetias. Priorem ab initio cap. VII. ad finem contigisse sub initium regiminis Achasi & **למה** pregnantem, esse uxorem eius iuvenulam, aut filiam, & puerum qui butyrum & mel comedit, filium eius esse & quae hunc spectant, ea temporibus Achasi accidisse. Quae verò cap. VIII. sequantur, ea aliquo tempore post evenisse, nec ibi prophetam quicquam de liberatione Achasi à duobus istis regibus sed de solo excidio Damasci & Samariae vaticinari. Prophetissam quoque esse uxorem Prophetae, ac natum, filium eius. Ideo etiam priorem puerum quidem dictum Immanuellem, quòd liberationem & prosperitatem populo annunciarer, alterum verò Maher Schalal Chasbazum, quòd excidium Damasci & Samariae praesignificaret. Neque harum visionum unam alteri similem esse. Imò cùm excidium Damasci inciderit in tempora Achasi ubi Pilesser Rex Assyriae ascendit, Rezinum occidit & Syros Damasco Kiram abduxit, prout in libro Regum habetur, & excidium Samariae post obitum Achasi anno sexto Hiskia acciderit, non frustra esse quòd filius prophetae duplici nomine excidium duplex ( quorum unum alterum certo intervallo exceperit ) praesignificarit, prout in commentario expositum. Neque hac responsione contentus aliam quoque ex mente Raschi affert. Filium scilicet prophetae nomen à praeda **שלל** & **בו** habuisse, ad indicandum modum ultionis de Rezino & Pekah sumende qui familiam Davidis regno voluerant spoliare. Nam. c. VIII. 4. **ישא את חיל דמשק** dici de occupatione Damasci quae 2. Reg. XVI. 9. commemoratur. Tum **ואח שלל שמרון** de eo quod post cedem Pekachi regnante Hosea factum, qui Salmanasser bellum inferenti tributarius factus munera dedit 2. Reg. XVII. 3. Hanc esse pradam Samariae, adeoque id omne tempore Achasi contigisse, neque hic de excidio aut abductione in captivitatem sed de prada Samariae, nempe donis illis & muneribus quae Hosea extorserit Salmanasser agi. Convenire ex interpretibus Christianis Thomam. Atque sic solutis quibuscunque dubiis veritatem sibi undique constare.

XII. In quibus omnibus oleum & operam perdidit, quando fluctuantes Judaeorum haesitationes circa hunc Immanuellem vo-

B

luit

3  
28  
33  
32  
31  
30  
29  
28  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

luit conciliare. An enim omnes ita sentiunt, duos pueros esse & duas prophetias? Non ita *Raschi*, cujus responsionem secundo loco producit. Prout enim *cap. 7.* ipse est *נביאה* *cap. 8.* ita duos pueros Immanuellem & Maherschallal Chasbasum unum eundemque esse pertendit. Anno enim quarto Achasi dictam esse prophetiam hanc & anno eodem Pekam fuisse occisum. Fieri autem haud posse, ut duo filii eodem anno ex eadem matre, alter post alterum, nascantur. Eidem ergo puero à matre quidem nomen Immanuelis, à patre verò nomen Maherschallal Chasbasi impositum. Nec aliter *Lipman. in Nizzachon n. 225.* ut & *R. Isaac.* Ergò cum prioris responsionem adoptet *Abarbanel*, videat quis ane illa queat quadrare, si nativitas hujus pueri eodem anno prædicta sit & evenerit, & impositio nominis complementum simul habuerit in Damasci & Samariæ spoliatione, ut *Raschi* idem existimat. Sanè nulla causa apparet, cur dicatur, *antequam sciat puer vocare, mi pater aut mea mater* &c. quandoquidem puer ille vix nasci potuit antequam illud eveniret, quod de occupatione Damasci & deprædatione Samariæ prædicitur, si ista *R. Salomonis Jarchi* hypothesis de anno quarto Achasi locum habeat. Quòd si quis pro *Abarbanel* excipiat, posse hanc responsionem *R. Salomonis* hypothesis ejus accommodari, si supponamus priorem de *Immanuele* prophetiam anno primo Achasi contigisse, supra §. IX. tum mox secutam alteram hanc de *Maherschallal Chasbazo*, cui in istis quæ *2. Reg. XVI. 9. & XVII. 3.* narrantur, intra biennium eventus responderit, velid unicum, quod sufficiet, oppo- nam, *Hoseam* anno 12. Achasi ad regnum pervenisse *2. Reg. XVII. 1.* & post ista tempora demum *Salmanasseri* Assyriorum Regi tributarium factum munera dedisse. Quí ergo fieri poterit ut hæc anno Achasi quarto accommodentur? Quòd si porro instes, satis esse quòd saltem hæc vivo Achaso evenerint, qui XVI. annis regnarit uti *2. Reg. XVI. 2.* legimus, reponam, nihil hoc facere ad objectionem, quæ supponat ex mente quorundam Judæorum, duos pueros *Jes. VII. & VIII.* pro eodem esse habendos, atque ablationem potentia Damasci post annum duodecimum Achasi, deprædationem verò Samariæ in excidio ejus anno nono *Hoseæ*, contigisse. Quâ ratione robur illi suum manet, si vel anno Achasi ul-  
 timo

timo hanc prophetiam editam fingamus , quoniam quantum-  
 cunque puer *μογιολα* sit, tamen quinquennio haud opus habet,  
 ut *אני* aut *אמי* dicere & patrem aut matrem appellare possit. Sed  
 ex adverso ante duodecimum Achasi annum, quo Pekah jam du-  
 dum interfecto Hosea regnum Israelis occupavit, 2. Reg. XVII. 1.  
 imò anno ejus minimùm quarto, hanc prophetiam editam inde  
 constat, quoniam Pekah tum adhuc in vivis fuit Ies. VIII. 6. quem  
 tamen anno Achasi quarto periisse ex collatione locorum 2. Reg.  
 XV. 27. & XVI. 1. apparet. Inanis itaque est Abarbanelis tri-  
 umphus, solutis quibuscunque dubiis veritatem sibi constare,  
 quandoquidem neque hæc quæ attigit, omnia sunt quæ Judæorum  
 detorsionibus opponi possunt, neque ille ista sic dissolvit ut ve-  
 ritas sibi constaret.

XIII. Veniendum verò nunc ad objectiones septem quas Chri-  
 stianorum explicationi opponit, quos ait à Mattheo Apostolo ac-  
 cepisse, hac esse de Maria partu virgineo & nativitate Jesu Dei  
 ipforum, qui ideo Immanuel dictus, accipienda. Sed obstare 1.  
 Quòd הנה rem presentem qua statim fiat (seu הנה הנעשה מיד  
 כהו) notet, uti Gen. XV. 4. Ies. XXI. 9. & XII. 2. ac alibi, eò  
 quòd הנה significatum petat ex radice הנהי ecce me. Quomodo  
 ergo diceret Scriptura 'הנה העלמה וגו' de re qua in fine dierum  
 demumerat futura. Potius dicendum fuisse, והיה באחרית  
 המים aut similem phrasin adhibendam qua in tempus longin-  
 quum refertur.

XIV. Rectè respondet Saubertus l. c. cap. 3. §. 1 הנה non  
 temporis indicem sed attentionis exhortatoriam esse neque semper  
 tempus propinquum atque presens notare, atque Abarbaneli ob-  
 jicit loca Ies. XLII. 1. הן עבדי אתמך בו Ecce servus meus, in-  
 nitar in eo, quem ipsemet de Messia agere putet. Tum Ies. LII. 13.  
 הנה ושכיל עבדי וגו' Ecce prudenter aget servus meus, quem Iona-  
 than, R. Nachman, plurimique alii Judæorum de Messia expo-  
 suerint. Similia Ier. XXII. 5. & XXXIII. 14. 15. Zach. III. 8. &  
 VI. 12. occurrere. Adde ineptum esse quòd Abarbanel ait  
 הנהי significatum ex radice הנהי petere, quasi הנהי in quo affixum additur, esset radix, & non po-  
 tius הנהי ad הנה reducendum, aut dici posset, cum הנהי ecce  
 B 2 me



me rem præsentem designet, idèd הנה absolutum quoque tale quid semper notare.

XV. Verùm 2. aliud argumentum opponit, quòd עלמה non præcisè virginem notet. Putàsse quidem id Christianos, quoniam ita de Rebekka & Mirjam sorore Mosis usurpatur. Verùm cuius Hebræo constare id falsum esse. Nam etiam de maritata sumi Prov. XXX. 18. eò quòd sequatur כן דרך אשה מנאפת Nesciri enim de maritata an concubuerit viro & polluta sit, vel non. Quosdam quidem יד בעלמה in loco Proverbiorum, explicasse בעלמה 'ועולמו ונעורתו בעלמותו in adolescentia sua, quasi בעלמה in fine א haberet, cum tamen in ה terminetur. Alios figurare aquilam & serpentem & navem de Jesu ejusq; divinitate accepisse, ut eo commodius sequentia ad incarnationem ejus referrent, quòd uterum virginis intravit. Sed ultima מנאפת כן דרך אשה non potuisse conciliare. Idem urget cum R. Isaaco in munimento fidei l. c. Lipmannus l. c. narrans sibi super ea re disputationem cum quodam Lindavensium antistite fuisse, qui objecerit, אשה quidem maritatum tam teneram quam profectæ ætatis notare, sed עלמה virginem esse eamque parvulam seu adolescentulam. Se verò respondisse, uti בתולה majoris aut minoris ætatis virginem notet, sic & עלמה tam maritatum quam virginem notare, sed propriè ad adolescentulam referri. Nam עלמה esse משון קטנות ejus significat ut minorennem notet ut 1. Sam. XVII. 56. מי זה ילם quis est hic puer? & Ps. LXXXIX. 46. ימי עלומי dies pueritia ejus. Clarum autem esse quòd עלמה de conjugata dicatur ex Prov. XXX. 18. דרך נכר בעלמה Nam nullam scortationis notam in corpore adulteræ extare, contra quam in virgine eveniat. Vitium enim post à marito deprehendi. Imò posse in virginitatem læsam inquiri יין כחביות per dolum vini, uti in Talmude tractatu Keruboth habeatur. Tum refert ut par pari redderet Critico, cum nosset legi in versione Latina virgo id opposuisse. Hoc enim dominam seu uxorem viri notare, ut נכירה Et א כל seu אשכנז כלשון אשכנז Germanicè idem esse quod מעטאנא Mannin. Neque verò ancilla aut puella scriptum esse. XVI. Ad quæ omnia cum jam responsum sit præter alios à Viris Clarissimis Sauberto toto cap. 2. disp. de Haalmah & Wagenseilio

Wagenfeilio in *Confut. carm. Lipm. p. 391. Et seq.* tum à me *Disquis.*  
 prioris §. XXIII. XXXII. Et seq. eo brevior hinc ero. Affingit 1. A-  
 barbanel Christianis quasi ex duobus exemplis fecerint inductione,  
 cum tamen ex omnibus reliquis locis ad hunc concluderint, nec  
 ipsi Judæi de cæteris, excepto illo Proverbiorum & hoc Jesaiæ loco,  
 diffiteantur, uti *Wagenfeilio pag. 398* probatum. 2. In loco Pro-  
 verbiorum quosdam Christianos עלמה accepisse de ætate quasi  
 עלמה scriptum fuisset quod apud Danielelem aliquoties occurrit &  
 seculum notat, fatendum est. Nam inter recentiores etiam  
 Saubertus, quod mireris, ita reddidit. *Ne vel (inquit) apella am-*  
*plius errent, ostendemus etiam aliter atque rectius locum illum posse*  
*exponi si בעלמה sumatur abstractivè quod Ebraicis non inusi-*  
*tatum. Ita LXX Interpretes ἐν νόρωτι. Quasi dicat Salomo, viam*  
*virii in adolescentia esse incertam adeoq; versatilem ut difficul-*  
*ter cognosci possit. Sed quàm incommodè, sequentia indicant,*  
 ubi probaturus LXX Interpretes ab Abarbanele malè esse intelle-  
 ctos, sic objectionem ejus supra allatam solvit. *Nos de aliis, illi*  
*de cepis. Existimat tale μαρβραμα à nobis committi starentibus,*  
*in textu ipsum exstare abstractivum nomen, cum Christianis nun-*  
*quam in mentem venerit negare עלמה nomen esse concretum. Quæ*  
 vel impertinentia videntur neque Abarbanelem tangere, vel talia  
 ut cum prioribus illis vix consistere queant. Ad hæc 3. aberrasse  
 & illos qui figuratè, tum priora illa de aquila, serpente & nave, tum  
 ultima de via virii in virgine acceperunt & Christo incarnato ap-  
 plicarunt, pariter fatendum. Factum id post *Raymundum in*  
*Pugione fidei Part. 3. dist. 3. c. 7.* ejusque compilatorem *Galati-*  
*num l. 7. c. 15.* (qui & in eà expositione ad suum בלא הוייתו pro-  
 vocat) à *Salmerone*. Sed planè ineptè, non quidem ideò quòd se-  
 quentia כן ררך אשה ונו haud potuerint conciliare, sed quòd id  
 à scopo Salomonis & toto contextu sit alienum. Nam 4. ultima  
 illa non sic cohererent, ut quid עלמה sit ex sequentibus demum sit  
 colligendum. Imò ex hac ipsa comparatione contrarium potius de-  
 monstrare in proclivi est. Si enim per עלמה hic notaretur mulier  
 fornicatoria, idem absurdè repeteretur, neque collatio esset  
 neque probatio, ut rectè l. c. Saubertus, qui Lipmanni inscitiam  
 quoad vocem virgo meritò notavit, uti *Wagenfeilius* somnium

3  
31  
32  
31  
31  
20  
24  
2  
2  
4  
44  
46  
49  
5

Talmudicum de exploratione virginitatis in filiabus Jabeitarum  
*Jud. XXI. 12.* per dolium vini facta, quod non in tractatu *Ketuvot*  
*sed Levamor* legitur, retulit & explosit.

XVII. Sed 3. objicit *Abarbanel* quòd הרה in præterito di-  
 catur; cùm aliàs *Propheta* in futuro dicere debuisset הנה העלמה  
 'והרה' uti *Gen. XXXVIII. 3.* si de conceptione post 600. demum  
 annos futura fuisset locutus. Nunc הרה de presenti accipiendum,  
 uti *Gen. XXXVIII. 24.* Idem urget *Nizzachon* vetus pag. 90. &  
*Kimchius* עתה היא הרה ועתה היא יולדת Nunc illa prægnans  
 est & nunc parit filium. Verùm *Raschi* disertè, הרה (in-  
 quit) לשון עתיד הווי' futurum significat & locum parallelum  
 de uxore *Manoæ* affert, *Jud. XIII. 3.* ubi eodem sensu quoque di-  
 catur ורית וילדת בן Quæ verba *R. Salomonis* cùm ali-  
 quando objecissem *Judæo* cuidam *Herbornæ*, obmutuit neq; quod  
 reponeret, habuit. Utique non solùm connexio וקראת se-  
 quentis (uti benè à *D. Sauberto* observatum) sed & stylus *Pro-*  
*phetarum*, quibus frequens de rebus futuris in præterito loqui,  
 hanc objectionem fati refellit.

XVII. Sequitur 4. alia *Abarbanelis* objectio quòd  
 hic puer *Immanuel* dicatur, Jesum autem nemine *Imma-*  
*nuelem* fuisse vocatum, neque à matre, neque ab ullo alio. Co-  
 nari quidem *Christianos* elabi per distinctionem inter nomen  
 naturæ & nomen proprium personæ. Sic hominem vocari אדם  
 hominem, sed nomine proprio v. g. *Socratem*. Ita *Jesum* nomine  
 proprio dictum, sed nomen natura fuisse *Immanuel*, propter divini-  
 tatem. Sed hac רכרי רוח vana esse. Nam de nomine natura  
 non solere *Scripturam* dicere וקראת שמו Est vocabis nomen  
 ejus; Sed aliter loqui. Nempe הוא שמו Id est nomen ejus;  
 Adcoq; sic ipsi dicendum fuisse עמנואל Et fuit nomen  
 ejus *Immanuel*. Non verò וקראת שמו Et vocabis nomen ejus,  
 quo ipso nomen ab impositione suspenditur. Neque usquam legi de  
 puero quòd mater aliqua post natiuitatem eum vocarit אדם  
 seu hominem. Id enim nominis ei na' urale esse.

XIX. Verùm præter illa quæ *disquis. prior. S. XXV. XXVI.*  
 & *XLI.* in hanc rem monita sunt & *Saubertus c. 3. §. 3.* unà cum  
 aliis reposuit, solidè responsum à *Jacobo Alringio v. c. in Schilo l. 3.*  
*c. 17.* & probatum, uti הוא שמו non semper nota nominis na-  
 turalis

turalis prôpter exemplum Josiæ, de quo *וַיִּשְׁמֶהוּ שְׁמוֹ* Josias nomen ejus 1. Reg. 13. v. 2. ita nec קרא cum שו constructum semper nominis proprii impositionem notare, quoniam dicitur *וַיִּקְרָא אֶת שְׁמֵם אָרָם* Et vocavit nomen eorum homo Gen. 5. v. 5. Præsertim cum ipse Ababanel de epithetis Messiaë *Jesaja IX. 5.* agens istaque Regi Hiskiaë accommodare laborans scribat *בִּיאַר עוֹר הַשְּׂמֹת שִׁיקְרָאוּ לוֹ כְּפִי בַּעֲוֹלוֹתָיו* Porrò exponit nomina quibus appellandus sit ratione operationum suarum. Atqui de pluribus tamen epithetis naturam Messiaë spectantibus, dicitur apud Prophetam *וַיִּקְרָא שְׁמוֹ בְּלֵאֲוֹנוֹ* Et vocabit quisque nomen ejus Admirabilis &c. Quidni ergo & hîc eodem sensu dicatur?

XX. Dehinc 5. ex verbis *antequam* norit puer *aversari malum & eligere bonum*, sic insurgit. Repugnare id traditioni Christianorum, quòd Jesus inde à nativitate perfectè sapiens fuerit. Distinguere quidem eos inter divinitatem & humanitatem ejus. Secundùm illam, inde à creationis suæ initio sapientem fuisse. Sed secundùm hanc aliquo temporis spatio sapientiam ab eo absconditam. Verùm id omne sine fundamento eos asserere. Divinitatem enim esse virtutis quoad intelligentiam infinita. Non potuisse ergo eam à potentia materiae finitâ imminui aut circumscribi. Neque dici posse, divinitatem in eo caruisse intelligentiâ cum id in Deo sit substantiale.

XXI. Quæ omnia Monophysitæ alicui aut Apollinaristæ opposita, pondus aliquod habent. Nunc manente post unionem personalem duarum naturarum in Christo harum distinctione & proprietatibus distinctis, apparet, quomodo Immanuel potuerit, ceu verus homo, ut ætate ita & sapientia crescere *Luc. II. 52.* sine ullo divinæ in ipso sapientiæ decremento. Quæ omnia Spanheimius Pater in *Dub. Evang. P. 1. Dub. 34. § 39. & seq.* fusè persecutus est, ad quæ etiam Saubertus nos remittit. Sed & 2. non opus ut eo deveniamus, si illorum sententia obtineat qui הנער non de Immanuele sed de prophetae filio, sive Schear Jafchubo sive Maherschala Ichasbaso, aut etiam puero aliquo indefinitè sumto (quo sensu הנער *Num. XI. 27.* capitur) intelligi volunt. Quod postremum præferendum videtur. Ipse Cel. Coccejus, dum Christo applicat, tamen fluctuat. Dicam, & fortasse melius, Immanuelem

manuelem hic intelligi. Nam præmiserat. Sanè potest alius notari, sive ut הן sit דעמלודו & demonstrat certum puerum, videlicet Schear fäschub fortassis; sive notet individuum vagum & dicat, quemvis puerum. Imò 3. potest utrumque conjungi, ut sensus sit, antequam ille Immanuel ad eam perveniat ætatem quo pueri malum averfari & bonum eligere solent, deseretur terra &c: Ut spatium temporis quod in puero à nativitate ad annos discretionis intercedit, in hoc quoque Immanuele applicetur spatio quod à tempore hujus prophetiæ ad mortem utriusq; Regis Pekæ & Retzini intercesserit, quod intra triennium præter propter terminatur, uti ex 2. Reg. XV. 27. 30. & XVI. 1. 5. 9. collatis constat & magis ex sequentibus constabit.

XXII. Nam 6. Abarbanel aliam objectionem ex verbis illis format. Quòd dicatur: deseretur terra cujus tædio afficeris à duobus regibus suis. Hinc ergo dubium gravissimum oriri. Quòd si enim Achafus timuit à Retzino & filio Remalja & super eo propheta ipsi signum dedit ad fiduciam ejus excitandam, ne cor ejus mollesceret aut metueret, qui potuerunt ea quæ de Maria ejusq; virginitate & de incarnatione Dei dicebantur, signum id esse. Angustia in propinquo erat, signum verò quod dabatur, de re fuit quæ post sexcentos demum annos erat futura. Conari quidem Christianos expedire se hoc dubio dicendo, signum hoc non spectasse veritatem prædictionis quæ Achaso facta, sed denunciationem signi longè maximi quod Deus in mundo erat editurus. Ideò hæc domui Davidis dici, ut nossent ex familia ejus Mariam venturam, quæ Deum esset paritura, adeoq; esse id ייעוד seu contestationem quandam solennem non verò כופת seu ostentum super liberatione Achasi. Sed ne huic locum esse, eo quòd propheta initio dixerit Achaso: 'את' לך אור' Neque dubium, agi de signo dato ad fiduciam ejus respectu horum regum corroborandam. Cum verò Achafus respondisset: 'את' לא אשאל' dixit ei Propheta. 'לכן יתן ה' לכם אור' Hinc patere, signum hoc fuisse illud ipsum quod initio petere erat iussus, neq; hic ullam proponi prædictionem de re futura aut denunciationem miraculi alicujus majoris sed signum de quâ erat locutus. Ideoq; necessum esse ut signum illud eveniret ante

ante tempus fiducia capienda **והנבטיחו כיון שהוא היה כדי להאמין בו**  
*ut confirmaret eum postquam extaret idq, ut crederet illi. Quo-*  
*modo autem (ait) quis rationis compos dixerit, verba, antequam*  
*noverit puer averfari malum, de Jesu dicta esse, quandoquidem*  
*duo illi reges terram deseruerunt sexcentis ante ejus nativitatem*  
*annis. Ecce autem (pergit) invenimus & videmus quod propheta*  
*testatus sit Hiskia de liberatione ejus è manu Sanheribi, de libera-*  
*tione è morte, restitutione è morbo, & horum omnium signa ipsi &*  
*ostenta tam in caelo quàm in terra dederit, neq, ullam tamen fecerit*  
*mentionem incarnationis divinae.* **כי מה ענין זה אצל זרתי**  
*Quid enim hoc ad illud pertinet? Scribere quidem quosdam*  
*Christianorum, dari etiam signum consequens quod exhibeatur post*  
*rem cuius illa est signum, uti Exod. III. 12. Et hoc tibi signum*  
*quod te misi &c. Ubi datio legis qua post accidit, signum est edu-*  
*ctionis. Et Jes. XXXVII. 30. Et hoc tibi signum, comede hoc*  
*anno &c. Constat autem quod hac post cladem Sanheribi accide-*  
*runt. Verum & hac omnia vana & erronea esse. Apud Mosen*  
*enim verba hac **וזה לך האות** dici de rubo ardente, aut quod*  
*Prophetia quae tum ipsi obvenerat, signum educationis esset futura.*  
*Sequi enim, **כי אנכי שלחתיך**, eo quod miserim te. Et sic Nicolaum*  
*Lyranum magnum illum interpretem exposuisse. Quod verò se-*  
*quitur, **כהוציאך את העם** id de scopo missionis intelligendum,*  
*non quod hoc esset signum futurum. Et sic quod apud Jesaiam di-*  
*citur, suo loco expositum esse, quod non sit nisi signum in bonum, ut*  
*ante dictum, non verò signum liberationis ex manu regis Assy-*  
*riorum.*

XXIII. Eadem urget Nizzachon vetus, quod Cl. Wagen-  
 feil primus ex MSc. Argentoratensi edidit, pag. 85. **והנה אמ**  
**כדבריהם הוא שזאת העלמה אמ אישות הזימה**  
**היתה מה אות היה זה לאחו הלא מעשה ישו היה יותר מן מאות**  
**שנה לאחר מיתת אחו: אלא כששאל חוקירו אות ואמר מה**  
**האות כי אעלה אל בית יי' מיד נתן לו אות שראה בעיניו:**  
**הנני משיב צל המעלות וגו': וכן לגרעון ויהי חורב על הגוזה:**  
**וכך משה הפך המטה לנחש וידו נהפכה לצרעת כשלב: וכן**  
**Quod si verò secundum illorum opi-**  
**tionem res se habet, ut hac עלמה sit mater illa conjugii nefandi,**  
 C quale

quale signum id Achaso futurum erat? Nonne ea quae Iesum spectant, plus quam trecentis demum post obitum Achasi annis acciderunt? Arqui cum Hiskias (Jes. XXXVIII. 22.) signum peteret dicens: quodnam est signum me ascensurum esse in domum Domini: illico ei datum quod oculis suis usurpabat. Ecce ego reduturus sum umbram graduum &c. Sic in Gideonis vellere siccitas apparebat (Jud VI. 40.) Sic Moses baculum in serpentem convertit. Sic manus illius leprosa facta tanquam nix (Exod. IV. 3. 6.) Eadem omnium quae exhibentur signorum ratio. Et R. Isaac. in חזקו ואם היה זה הפסוק נאמר על ישו Part. 2. cap. 2. כפי סברתם הנבערה מה אות היה זה לאחו דבר שיהיה ימים רבים אחר מותו יותר מת"ק שנה ואך יתחזק לבו של אחו: *Quòd si locus ille, ceu eorum stulta habet opinio, de Iesu ageret, quale signum futurum erat Achaso, res quae quingentis amplius annis post obitum illius accidere debebat? Et quomodo cor Achasi confirmari potuit ostento ejus aetate minime eventuro?*

XXIV. Est verò in promptu quod ad hæc omnia respondeatur, 1. Malè ceu indubitatum supponi, signum hoc Achaso datum in fiducia argumentum. Aliud colligitur ex illo לכו vobis uti *disquis. prior. §. XIX.* monitum. Neque obstant verba *ψ. 16.* unde *Abarbanel* argumentum desumit, quoniam in illis non de Immanuele sed de puero in comuni, vel saltem non de Immanuelis nativitate ceu signo agitur, uti supra §. X. indicatum. 2. Non convenire Rabbinos in tempore quod ab hoc vaticinio in Christi nativitate effluerit. *Abarbanel* 600. annos ponit. *Nizzachon vetus l. c.* plus quam trecentos, & non multò post *pag. 90.* mille, ingenti plus quam duorum seculorum parachronismo. *R. Isaac* amplius quingentos. Sed errant omnes, cum inde à tempore hujus vaticinii editi ad Christum plus quam 700. anni fuerint elapsi. 3. Iterata rursùm prævaricatione *Abarbanel* illud הוּא in textu לכו יתן יהוה לכם, cujusmodi jam antehac etiam *disquis. prior. §. XIX.* notata. 4. Supponere id quod in questione est, signum hoc quod datur, esse illud ipsum quod Achasus petere erat jussus. Imò cum nollet petere, hoc cum exprobratione datum aliud fuisse necesse est.

Sed

Sed & 5. dum hoc supponit, ipsum sua vineta cedere. Probaverat enim illam ex Tanchuma **או הנכה העמק או הנכה** expositionem, id de conditione ipsius signi intelligendum, ut v. g. vel resurrectionem alicujus mortui vel signum in caelo edendum peteret, ac addiderat, non datum tale quod à cursu ordinario naturæ abiret magnoperè, quandoquidem Achafus & homines ejus id haud postularant, sed datum **כיון** solùm seu signum memoriale. Vid. *Disquis. prior. §. XVI. & XVIII.* Quomodo ergo nunc asserit id ipsum fuisse quod petere erat justus? Tum 6. perinde erroneum esse quod de confirmatione fiducia in Achaso per hoc signum quaesita supponit. Hypocrita erat Achas, in quem non cadebat fiducia, ejusque hypocrisis postulatione prophetae detecta. Denunciatio ergo nuda est, terræ à regibus suis, quos hostes habebat, deserendæ intra certum terminum, qui ex ætate pueri alicujus, vel etiam Immanuelis, sensu quo dictum, designatur. Qua ratione id etiam de Jesu dici potuisse evidens, licet duo illi reges multis ante nativitatem ejus seculis terram deseruerint. Neque verò 7. sequi, si Hiskiaë alia signa data præter Immanuelis nativitatem, ergo hanc non posse signum esse. Nam & 8. falsum, omne signum visibile esse & oculis corporeis debere usurpari, uti *Nizzachon* inductione satis imperfecta ex tribus aut quatuor exemplis concludit. Potest utiq; apprehendi oculis mentis, cujusmodi erant signa illa ad quæ 9. *Abarbanel* frustra excipit. Nam quòd priorem locum attinet *Exod. III. 12.* illa quidem quæ hic breviter notat, fusiùs in *Comment. suo in legem fol. 13r. col. 4.* exponit, nempe signum illud, vel in rubo ardente, vel in prophetia quæ tum ipsi obvenerat, quaerendum. Sed præterquam quod nulla tum est verborum sequentium **וְנֹכַח בְּהוֹצֵאתְךָ וְנֹכַח** cum præcedentibus connexio, neutrum dici potest. Non prius de rubo, quoniam rationem significationis in eo locat quòd is ardens ab igne non consumeretur, sic & Mo- sen à Pharaone præservandum. **כִּי אִם אֲנִי לְהַצִּילְךָ מִפְּרֻעָה כְּאֵשׁ. אֲתָה רֹאֵה שְׂאֵנִי מְצִיל אֶת הַסֵּנֶה מִן הָאֵשׁ.** *Sufficiam ego ad liberandum te à Pharaone prout vides quòd rubum conservem ne ab igne consumatur.* Atqui id non erat cujus signum dabatur sed missionis, prout sequitur, **כִּי אֲנִי שְׁלַחְתִּיךָ.** Ergo dicendum, fuisse

3  
32  
31  
30  
29  
28  
27  
26  
25  
24  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1



fuisse tum potius **אצילך כי אנכי** quod ego te sim liberaturus. Neque posterius, de prophetia aut spiritu prophetiæ, נכואתי ואת רוחי אשר שמתו כפיך הוא לך אות אמת שאהיה עמך *Prophetia hac mea & spiritus meus quem posui in ore tuo erit tibi signum verum quod tecum sim futurus.* Nam tum dicendum fuisset ואת לך האות Nulla etiam toto versu vel prophetiæ vel spiritus fit mentio. Quinimo si vel verba ita capiantur, ut res signata sit præcedens, **כי אהיה עמך** quoniam tecum ero, cujus signum missio ipsa, quia Deus quos mittit legatos haud deserere solet, tamen sequentia nihilominus rationem signi habebunt quod populū Israëliticum revera esset Ægypto educturus, de quo perinde dubitaverat *ψ. 11.* Nam & ipse *Raschi* eam expositionem probat & alterum locum *Jes. XXXVII. 30.* ceu parallelum citat. In quo tamen cum eo *Abarbanel* putat, signum esse casum Regis Assyriorum Sanheribi, illud ipsum vero quod dicitur *comedere eos anno uno sponte natum & altero sponte renatum &c.* rem signo illo denotatam & promissam. Quæ interpretatio violenta est & vim textui affert. Id enim si voluisset propheta, dixisset **כי האכלו וגו'** Jam cum dicat **אנכי** planè est, signum non in præcedentibus sed in sequentibus haberi.

XXV. Denique 7. *Abarbanel* argumentum à contextu desinit, **מהמשך הפרשה** *Sequi enim:* Posthæc adducet *Jehova* super te &c. *ψ. 17.* Id autem argumento esse, quod non desinat propheta de negotio *Achasi* cum istis Regibus *Hierosolymam* oppugnaturis agere, ideoq; postea etiam *Sanheribi* contra eam in diebus *Hiskia* filii ejus adventum commemorare. Quomodo verò ulla ratione humana concipi potest, quod inter duas has assertiones quæ argumento & tempore coherent, alia quadam inseratur qua non sit rei præsentis sed temporis remotum & longinquum spectet. Atque ita quasi triumphum canens concludit: **אוסף לדב' בנישול הרעת הוד הזה אחר שאין לו מדר' הסבר ולא מדר' הכתו' על מה שיוסמך:** *Et quid attinet plura ad eversionem sententia hujus adeo aliena afferre, cum ei neq; in ratione, neq; in Scriptura quicquam sit præsidii.*

XXVI. Quæ objectio ejusdem cum prioribus ponderis. Ita est, non desinit propheta de negotio *Achasi* cū istis Regibus agere. Sed num hoc Christianorum expositioni obstat quicquam, qui signum

gnum quod in futurā Immanuelis nativitate domui Davidis datur, tamen ad rem præsentem referunt, & ostendunt, quomodo id eo tempore potuerit in argumentum fiduciæ cedere? Petatur hoc signum undicunque, interrumpetur quadantenus contextus, si prædictionem signi in se spectes. Sed si ad applicationem attendas, erit & illud מְנוּנָה דְּמֶלֶךְ רֵיכָנִי *rei presentis*, quod non ejusdem temporis est. Insuper quoq; apud prophetas contextui quandoq; reflexiones ad res futuras *Sanbertus cap. 3. §. 6. ex Ps. LXXXIV. 10.* probavit, ubi mentio Messiaë desiderio Davidis apud Philistæos exulis inscribitur. Sed plura sunt ejusmodi apud ipsum Jesaiam loca *cap. V. §. 6. & IX. 1. 2. 6. 7. & XI. 1. 2. 3. & c. & XXII. 20. 21. & c.* ac alibi passim. Inanis ergo is Abarbanelis triumphus. Est Christianorum sententiæ in contextu præsidium, quoniam ubi evictum est, agi de partu virgineo & nativitate pueri qui verè Immanuel, facilè applicationem ad Servatorem Jesum instituunt, cùm B. Virgo Maria verè fuerit virgo, desponsata quidem Josepho, sed *πριν ἢ συνελθεῖν αὐτῆς, ἡυπέθη ἐν γαστρὶ ἕχουσα ἐκ πνεύματ. & ἁγίου Matth. I. 18.* id quod anno ætatis ejus 15. accidit, uti *Evodius* apud *Niceph. l. 2. c. 3.* & ex illo *Baron. in Apparatu §. 47. & seq.* affirmat, quicquid etiam Judæi ore blasphematum in *Sanhedrin*, tū in *Toledos Jeschu*, de filio *Stada* & filio *Pandira* fabulentur. Peperit ergo filium hunc, cujus nomen verè fuit *Immanuel*, non impositū quidem à matre, uti nec verba id requirunt, verè tamen ei conveniens. Vid. *disq. prior. §. XLI.* Est & præsidium in ratione, non corrupta sed illuminata, quæ ubi de veritate revelationis constat, Deo se submittit, non ait, esse aliquid *ך* seu *alienum*, quod gloriæ Dei revelantis & verbis ejus quadrat, quod salus nostra postulat, quod ipsa rei evidentia requirit.

XXVII. Unde misso *Lipmanno* & cæteris, qui nunc ex *ד* demonstrativo in *העלמה* frustra argumentantur, quasi necessariò aliquid præsens quod digito monstrari possit notaret, cùm exempla in contrarium sint *Deut. III. 23. 25. & Jer. XXXIII. 15;* nunc puero huic patrem fuisse, eò quod clamare potuerit *מְנוּנָה*, pertendunt, duas prophetias distinctas *cap. VII. & VIII.* confundentes; nunc revera puerum fuisse, putant cum divinitate servatoris pugnare, rationem unionis personalis, qualem Christiani credunt, haud assequentes; nunc ad illud *שְׂמוֹ קָרָא* provocant, ut evincant, puerum hunc

3  
32  
31  
31  
2  
2  
2  
2  
4  
4  
4  
4  
4  
4

temporibus prophetæ jam natum fuisse, rursus diversas *c. VII. & VIII.* prophetias non distinguentes; concludimus, evictum esse hactenus satis, Judæos non reperire ubi in vaticinii hujus expositione pedem figant sed hypotheses suas invicem destruere, dum nec de signo, nec de *מלך*, nec de *Immanuele*, conveniunt, alii ad uxorem prophetæ, alii ad uxorem aut filiam Achasi se converterunt; alii signum memoriale solum, alii magnum quoddam quale Achasi petere erat jussus exhiberi antumant; rursus hi pueros *c. VII. & VIII.* distinguunt, alii ita confundunt ut etiam eundem trinominem fuisse asserant, dictum *Immanuel*, respectu Regis Judæ, *Maherschalal*, respectu Regis Israelitarum, & denique *Chasbas*, respectu Regis Syriæ, quod *R. Isaaci in munim. fidei* commentum est. Sed & contra, Christianos, applicationi Evangelicæ insistentes, jure meritoq; credere, hunc Immanuelem solum esse Dominum nostrum Jesum Christum, qui ceu *θεὸς μετὰ ἡμῶν* & *Deus nobiscum* natus ex virgine immaculata, signum etiam tum, ubi solummodo in promissione extabat, esse poterat tale quod ipse Jehova erat daturus, quod in argumentum fiduciæ domui Davidis tum quoque cedere poterat ob gratiosam Dei præsentiam & certitudinem familiæ Regiæ conservandæ ex quâ Messias olim erat oriturus, imò & primis pueritiæ annis designare spatium intra quod Israelis & Syriæ Reges, ob quos trepidabatur, erant extirpandi, non agnitus quidem incredulis Judæis, sed nobis tanto magis verâ & viva fide amplectendus, quo plus in eo solatii solidi adversus terrores quoscunque, quos non unus Rezin & Pekah hodie quoque incutiunt, dum constat omnium seculorum memoria Christum Jesum in medio hostium suorum semper regnare, semper, etiam cùm patitur, triumphare.

COROLLARIA.

**L**iber qui inscribitur, *Kurzer und gründlicher Beweis daß der Reformirten oder Calvinisten Lehr der Seeligkeit nachtheilig und verdämlich sey* / à *Viris Celeberrimis & eruditissimis magno cum apparatu editus*, argumenta popularia multa habet, ad occupandos animos illorum, quibus vel otium vel facultas singula accuratius examinandi deest, insigniter comparata, sed ne unicum quidem quod solidum sit & titulo exacte respondeat.

2. Topica Calviniana scriptum est ad quod respondere haud difficile. Sed cui bono? cum monitum Apostolicum Gal. V. 15. oculis & animis obversetur, neq; id fieri queat, quin ostendatur, autorem nec à malevolentia, nec à maledicentia, (etiam ubi in apostrophe utramq; amoliri conatur) posse liberari, quando in ipso procemio Calvinistas, quos vocat, ceu impostores iniquissime traducit.

3. Jacobi Benigni Bossueti, Episcopi, antea Condomensis, nunc Meldensis, Doctrinæ Catholicæ expositio nihil habet quod tale sit & decantato axiomati Vincentii Lirinensis, quod ubiq;, quod semper, quod ab omnibus creditum est, quadret.

4. Fratris aut sororis uxoris defunctæ filiã ducere non licet.

5. Edictum prætoris, se jus non daturum si quis eum apud quem alea lusum esse dicetur, pulsa verit aut damnum dolo dederit, justum est, neq; præcepto, suum cuiq; tribuendum esse, repugnat.

6. Dari præscriptionem rei furtivæ aut usucapionem pignoris surrepti cum jure divino nequit conciliari.

7. Leprosi à Christo sanati æq; ac hæmorrhousa, tangendo simbriam vestimenti ejus convalescens, arte Medica incurabiles fuerunt.

8. Sed Sacrum Petri febricitantem ope humana restitui potuisse, nil derogat miraculo.

9. Sedes tropi etiam in copula esse potest.

10. Spiritus creati ita demum ibi sunt ubi operantur, ut tamẽ semper aliquod ubi definitivum ipsis sit tribuendum.

II. Somnium uxoris Pilati non fuit merè naturale.

12. Αἰετὸς ὁμιεσι. In oratione Dominica (quod Sculterus vocabulum carnificinam Theologorum & Grammaticorum appellat) non est panis substantialis, uti Vulgata habet, neq; crastinus, ut Grotio placet, sed quotidianus.

13. Κεφαλὴ faciem notat non solum Rom. XII, 20. sed quoque I. Cor. XI. 4.

14. Qui τροφορίζειν Act. XIII. 18. per τροφορεῖν exponunt, errant, cum in illo loco ad Deut. I. 31. respiciatur.

15. Geminum verò errorem committit Gaulmynus in Notis ad lib. de vita Mosis pag. 256. quando ὅτι πάντες (quod omnes ranam esse agnoscunt & à Bocharto Hieroz. Part. posterior. lib. 5. c. 2. evidenter probatum) ipse non solum crocodilum esse absurde pertendit sed quoque Aben Eiram ita sensisse affirmat.

16. Diluvium Noachicum fuit universale, ita tamen ut globus terra tegetetur solum non verò dissolveretur.

17. Montes Ararat super quibus arca quievit, Gordyaxos in Armenia esse, rectè post Fullerum Miscell. I. I. c. 4. probat Bochartus in Phaleg. I. I. c. 3.

18. Euripidis sententia in Bacchis Vers. 385. verissima est.

Ἀχαλίων τομάτων  
 Ἄνιμος τ' ἀφροσύνας,  
 Τὸ τέλος δυσυχία.

19. Carolus M. Imperator non fuit Papista.

20. Fæminam aliquando fuisse Papam magis firmiter probari potest quàm Petrum aliquando Romæ fuisse.


21. Iohannes Hus in Concilio Constantiensi contra fidem datam fuit combustus, quicquid etiam Becanus in Manual. I. 5. c. 15. alique Scriptores Pontificii in contrarium pertendant.

22. Fabula est quicquid de ade B. Virginis Lauretana & Iacobi Apostoli cadavere Compostellam delato, in Papatu vulgò creditur.


23. Character mentis oratio est.

24. Norma verò laborum in studiis sacris: Ad profectum tendant omnia, non quæraturlausus.

FINIS.














the scale towards document

*no 102.*

ATIO THEOLOGICA  
De  
SIA, EJUS-  
NEGOTIO.

*Quam*  
PICIIS DIVINIS  
*Eruditorum Examine sicut*  
B PRÆSIDIO  
NIS GODEFRIDI  
MANNI, SS. Th.  
oris & Professoris.

ESPONDENS  
IS WILHELMUS HANSTEIN.  
*T. Martii, horis locoque solitis.*



32.

BURGI ad RHENUM,  
is Sas, Academix Typographi,  
no M. DC. XCVIII.

4

44

46

48

49